



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Usu & Abusu Doctrinæ Divi Thomæ Pro Xaveriana
Academia Collegii Sanctaefidensis in Novo Regno
Granatensi, &c**

Martinez de Ripalda, Juan

Leodii, 1704

Lectio IV. Recentiorum secùs opinantium acies exarmatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84322)

argumēta
recentio.

præjactæ Conclusioni præbeam assensum. Pro nobis tamen brevi calamo attingam argumenta, quæ circa punctum præsens pro hac nostrâ sententiâ inter Recentiores deprehendo. Primum est. Forma sanctificans facit hominem filium adoptivum, & consequenter Deo similem per participationem divinæ naturæ. At contritio cum sit actus transiens, non potest esse radix habituum supernaturalium, nec hominem facere Filium Dei adoptivum. Ergo. Secundum est. Inter homines si vulgaris Regem graviter offendat, eo ipso quod de illâ doleat offensâ, talis dolor non censetur, ad delendam offensam, condignitatem habere. Ergo multo minus dolor, aut contritio ad divinam delendam offensam. Tertium est. De fide est, hominem per formam intrinsicam sanctificari. Ergo per actum contritionis transeunter id fieri non potest: Sequeretur enim, parvulum baptizarum, si privaretur gratia Dei amicum permanfurum eo ipso, quod illam habuerit; sicut est sanctus homo eo ipso, quod habuerit actum contritionis. Quartum est. Ad unum effectum formalem non possunt esse plures formæ distinctæ. Sed non potest negari, quin gratia sit forma sanctificans. Ergo ideo est, quia actus contritionis non est talis forma. Quintum est. Sequitur ex contrariâ sententiâ, hominem condignè satisfacere pro suo mortali peccato, & mereri remissionem illius. Sequela probatur. Quia si actus contritionis est formalis sanctificatio: Ergo erit condigna compensatio; sicut est meritum de condigno actus gratiâ condignificatus. His, & aliis certant pro nostrâ Conclusionem Doctores aliqui, præcipuè Cardinalis de Lugo. Suppetunt tamen pro nobis supra adductæ rationes, ideoque ab his pro nostrâ defensione abstineamus.

LECTIO IV.

*Recentiorum sæculi opinantium
acies exarmatur.*Nobis
ponunt
varia Tri-
dentini, &
scripturæ
loca.

27. **I**nsurgunt primò ex variis Tridentini locis; cap. 7. citato dicitur, quod justificatio est sanctificatio per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum. At voluntaria susceptio est motus liberi arbitrii consistens in actu. Ergo. Deinde cap. 4. de pœnitentiâ ait: *Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitatem perfectam esse, contingat, hominemq. Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti*

voto, quod in illâ includitur, non esse adscribendam. Ita ibi. At reconciliatio est ipsa justificatio. Ergo quia contritio justificat formaliter. Bene: Sed ly *formaliter* ad libitum Adversariorum inferitur ex Tridentino. Firmant hæc, & alia testimonia ex scripturâ, & Sanctis Patribus: Nam Joannis 14. dicitur: *Si quis diligit me, mandata mea servabit, & pater meus diligit eum.* Ergo quia diligit homo Deum, diligitur à Deo ut amicus. Deinde prima Joann. 4. dicitur: *Charitas ex Deo est, & omnis, qui diligit, ex Deo natus est.* Sed id, per quod nascitur ad vivendum vitâ supernaturali, est forma sanctificans. Ergo charitas est talis forma.

28. Verum ex his locis parum, aut certè nihil evincitur contra nos. Respondeo ad primum, Concilium solum velle, sanctificationem non fieri absque actu, quo velit homo suscipere gratiam: Unde ly *voluntariam* vel potest sumi pro actu habente susceptionem gratiæ pro objecto, & sic non se habet voluntaria susceptio formaliter; sed activè; ac proinde in illâ non stat sanctificatio formalis: Vel potest sumi pro ipsâ susceptione gratiæ, ut est talis actus voluntatis objectum; & in hæc bene consistit formalis sanctificatio. Constat hoc in pluribus exemplis, in quibus idem nomen tribuitur activis, & passivis, seu formalibus, ut patet de calefacere activè, & formaliter. Alio modo explicant locum Suarius, & Lugo, qui parum nobis arridet. Ad secundum locum ex cap. 4. de Pœnitentiâ deductum, respondent aliqui, reconciliationem ex mente Concilii adscribendam esse contritioni ut dispositioni ad gratiam; non verò ut formæ. Quæ solutio licet non facile impugnetur; non tamen congrua videretur. Ratio est. Quia ibi nec verbum habet Concilium de tali contritione, ut est dispositio; sed solum de contritione, ut est pars Sacramenti; quod quidem, legendi Concilium, constabit evidenter: Solum enim dicitur ibi, quod imperfecta contritio, quæ vocatur attritio, ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandum disponit. Ergo aliud sentit Concilium, quando asserit, reconciliationem adscribendam esse contritioni, perfectæ charitate.

29. Respondeo, legitimam Concilii mentem esse, reconciliationem cum Deo adscribendam esse contritioni ut operanti reconciliationem in voto, aut virtute Sacramenti Pœnitentiæ; ita ut contritio dupliciter consideretur, primò ut est actus virtutis; & sic ex naturâ suâ habet, quod sit dispositio se tenens ex parte animæ ut causæ materialis ad voluntariam susceptionem gratiæ,

Explicat
Tridentini
testimonia.Dupli-
ter con-
siderari po-
test con-
tritio ad
legitimam
Concilii
mentem.

tiæ, quæ expellit formaliter peccatû, quemadmodum calor in ipso instanti, in quo est forma ignis, dicitur dispositio materiæ ad talem formam, ut se habet ex parte materiæ. Secundò potest considerari contritio ut pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ; & hoc modo dicitur illi adscribi reconciliatio cum Deo, non quidem ratione sui præcisâ; sed virtute clavium, quæ includitur in voto suscipiendi Sacramentum, ut in simili diximus Tractatu 2. de Baptismo.

Id patet ex Trid. verbis ubi supra.

30. Quod autem hæc videatur mens Synodi Tridentinæ, constat ex illius verbis. Sic enim ait loco supra citato: *Docet præterea, esse contritionem hanc aliquando charitatem perfectam esse contingat hominibus, Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illâ includitur, non esse adscribendam.* Ita ibi: Sisto hic tantisper, ut stemus proposito tum Concilii, tum quæstionis. Vel ergo contritio charitate perfectâ includit ex genere suo votum Sacramenti, vel non? Si primum: contra est. Quia David cum dixit; *Tibi soli peccavi*, habuit contritionem charitate perfectam. Sed David non habuit contritionem cum voto Sacramenti: cum tunc non fuisset institutum Pœnitentiæ Sacramentum. Ergo. Si secundum. Ergo ex Concilii loco non adscribitur reconciliatio impij contritioni charitate perfectæ ratione illius præcisæ; sed contritioni propter votum, quod includit Pœnitentiæ, ut est Sacramentum. Sed Sacramentum Pœnitentiæ non se habet ut causa formalis justificationis, sed solum ut instrumentalis; ut diximus Tractatu 1. de Sacramentis in genere. Ergo contritio, cui adscribitur reconciliatio in voto talis Sacramenti, non potest se habere ut causa formalis.

Deus diligit hominem, illi elargiens gratiæ sanctificantis donum.

31. Ad illud primum Joannis respondeo, Deum diligere hominem, illi gratiæ sanctificantis donum elargiendo; quia homo diligit Deum: ita tamen, ut ly *Quia* cadat super prioritatem dispositionis, non supra prioritatem causæ efficientis; quia hoc respectu gratiæ est Misericors Deus: neque supra prioritatem causæ formalis; quia hæc est sola gratia. Ad secundum locum Joannis respondeo, quod sicut prius est, hominem esse natum in esse naturali, quàm naturaliter operari; sic homo quia est natus secundum esse supernaturale per gratiam, operatur per charitatem, quæ sequitur ad nativitatem in gratiâ. Ex his facilis affulget responsio ad alia loca tum Scripturæ, tum Sanctorum Patrum.

Argumentum. Quia peccatum actuale est macula formalis animæ.

32. Insurgunt secundò. Peccatum actuale, secundum quod dicitur de formali malitiæ, est macula animæ formaliter. Ergo contritio est sanctitas formalis animæ. Consequentia probatur, Eâ ratione peccatum ac-

tuale est macula formalis animæ, quæ per peccatum Deus desinit esse affectivè finis supernaturalis hominis, & loco Dei creatura succedit. Sed per actum contritionis amatur Deus ut ultimus finis supernaturalis, & affectivè restituitur in suum proprium locum, creaturis ab eo statu rejectis, in quo homo illas ut finem ultimum constituerat. Ergo cum hæc omnia sint propria perfectæ sanctitatis, actus contritionis, aut charitatis erit sanctitas perfecta animæ. Firmatur. Quia sicut in Physicis impossibile videtur, quod idem mobile accedat ad terminum ad quem, & quod simul ab illo recedat, sic etiam implicat in moralibus. Sed per peccatum homo recedit à Deo tanquam à suo termino, & per dilectionem, vel actum contritionis, ad Deum ipsum accedit. Ergo positâ Dei dilectione, implicat penitus manere peccatum, per quod à Deo recedit.

ergo contritio sanctitas formalis.

33. En ingeniosissimi Patris Vasquez, & aliorum Recentiorum decantatum Achilem. In primis multum probat argumentum. probat enim actum charitatis, aut contritionis esse plenam & adequatam satisfactionem pro offensâ Deo illatâ per peccatum. Rem breviter ostendo. Offensa, & injuria Deo illata, stat in eo, quod per peccatum creatura constituitur in Dei loco ut finis; Deus verò quasi in loco inferiori, quem deberet creatura occupare. Sed per actum dilectionis supernaturalis ponitur restituiturque Deus in suo loco ut finis. Ergo erit plena satisfactio: nam qui integrè, & adequatè restituit debitum respectu illius, quod erat ablatum, plenè satisfacit. Consequens autem etiam in humanis videtur falsitate laborans. Deinde argumentum peccati maculam cum offensâ confundit; cum ex dictis constet, offensam sumi ex eo quod constituamus creaturam ut finem per conversionem ad illam, relicto Deo; cum è contra esse deberet, scilicet nobis Deum ut finem ultimum statuendo per nostri cordis, & actus conversionem ad ipsum; idcirco Deus dicitur subiectum offensæ, non maculæ; anima verò subiectum maculæ, non autem offensæ. Ex his ergo quæ pro intelligentiâ rei debuerunt arguentes habere præ oculis,

Ostendo, multum probare argumentum.

34. Respondeo ad argumentum, antecedenti concessio, negando consequentiam; vel permittendo, transire antecedens juxta infra dicenda. Ad probationem nego absolute majorem. Quia ratio maculæ stat formaliter in separatione gratiæ ex peccato communicatâ, quâ gratiâ mediante Deo anima conjungebatur. Ratio est. Quia cum gratia sit pulcherrimus animæ decor, eo ipso quod per peccatum illi decor iste gratiæ deficiat, anima dicitur foedissimè maculata: quemadmodum corpus aliquod, quod lucidum erat per interpositionem, seu præsentiam

Respondeo deo rationem maculæ stat formaliter in separatione gratiæ ex peccato communicatâ.

præsentiam alterius quod inter ipsum, & solem mediet, dicitur quasi umbrâ illâ maculari: unde sicut umbra est luminis inducta privatio per motum corporis ad locum: quæ quidem umbra, ut tollatur, requirit motum contrarium corporis, quo recedat; sed tamen non tollitur formaliter per talem motum, quia solum se habet dispositivè, & quasi removens prohibens; formaliter verò tollitur per ipsum lumen: quia ut supra dictum est, unum contradictorium non tollitur formaliter à subiecto, nisi per alterum contradictorium: Similiter quidem in casu, quem præ manibus habemus. Anima iusti gratiæ nitorem habebat, quæ est divini luminis participatio: contingit autem, ut per motum prævæ voluntatis, & conversionem ad creaturam, ex interpositione creaturæ quem motu peccati voluntas accessit, resultat in anima umbra illa, seu macula, quæ stat in privatione gratiæ; quæ macula, seu privatio gratiæ ut auferatur, indiget quidem, ut voluntas motu contrario charitatis aut contritionis à creaturâ recedat: tunc autem certò infunditur gratia, quæ tollit maculam formaliter immediatè: motus autem ille solum se habet dispositivè, & quasi removens prohibens; ut patet exemplo adducto de umbrâ corporis causatâ per illum motum. Scio plures aliter respondere; sed argumentum semper efficacissimè urget, nisi illi occurrat præiacta solutio. Confirmatio aliâ præter hanc assignatam doctrinam, solutione non eget.

35. Instabunt primò. Ergo macula formalis non est in actu, sed solum in animâ. Concedo consequentiam; imò id fateri tenentur omnes de maculâ peccati originalis, cum hæc per proprium actum minimè contrahatur, & tamen in animâ puerorum ante baptismum talis macula originalis dicitur subiectari.

36. Instabunt secundò. Ex datâ solutione sequitur non esse nisi unam maculam. Hoc autem absurdissimum est; cum ex pluribus peccatis plures maculæ resultent. Sequela probatur. Macula stat in privatione gratiæ, quæ est nitor, animæque splendor. Sed privatio gratiæ in peccatore non est nisi unica; cum gratia quâ ille privatur, sit una dumtaxat. Ergo. Nego sequelam. Ad probationem distinguo majorem: Stat in privatione gratiæ relativè sumptâ, & per ordinem ad peccatû, ex quo sequitur, & in animâ resultat macula, concedo: Stat in privatione ab omni respectu absolutâ, nego majorem. Do exemplum, rem satis illustrans, ut à molestâ explicatione abstinemus. In corpore lucido per interpositionem corporis A umbra resultat, quæ est privatio luminis; & per interpositionem corporis B alia umbra resultat, & sic de aliis: unde sicut umbræ sunt plures eo quod multiplicentur corpora, à

quibus causantur, et si lumen, quo privatur sit idem: sic maculæ sunt diversæ ex diversitate peccatorum, à quibus causantur, quamvis gratia sit eadem.

37. Replicabis. Ex datâ solutione non probatur, quod maculæ sint specie distinctæ; sed ad summum numero. Sed necessariò debent esse distinctæ specie; aliàs unum peccatum non esset majus alio, nec peccata distinctæ specie distinguerentur, quod est dictu nefas. Ergo non satisfacit data solutio. Probatur major. Privationes non multiplicantur specie, nisi formis specie multiplicatis: non enim constat, privationem albedinis esse specie distinctam à nigredinis privatione, nisi quia nigredo ab albedine discriminetur specie. Sed peccatum adulterii v. g. non privat gratiâ specie distinctâ ab illâ, quâ privat furti peccatum. Ergo si macula stat in privatione gratiæ, seu nitoris animæ, non distinguerentur specie peccata. Mala quidem consequentia: non enim illa; sed ista deberet inferri: Ergo si macula stat in privatione gratiæ, omnes maculæ animæ essent ejusdem speciei. Hanc autem planè concedimus.

38. Ratio est. Quia ut constat ex doctrinâ præviâ Lectionis primæ, in peccato mortali duo considerantur, aversio scilicet animæ à Deo, & conversio ad creaturam. Aversio animæ per quodcumque peccatû mortale causetur, est semper ejusdem rationis: quia hæc stat formaliter in ipsâ privatione gratiæ, quæ est formalis animæ conjunctio cum Deo, ac proinde aversio animæ à Deo in ipsâ separatione, aut privatione gratiæ consistit. At verò conversio animæ ad creaturam stat in actu, quo, inordinatè contra lumen rationis, & contra legem Dei anima directè fertur in creaturam. Cum ergo actus ex diversis specie objectis distinguantur specie; fit, quod ex parte conversionis peccata sine plura specie distincta. Attamen ex parte aversionis formalis, seu maculæ, quam inducunt & causant omnia gravia peccata, non debet ita discursi; cum terminus aversionis cujuscumque peccati sit formalissimè idem, nimirum Deus. Peccat igitur arguens, eo quod confundit peccatum & animæ maculam, quæ est effectus à peccati malitiâ proveniens; cum toto cælo unum aberrat ab altero: actus enim est malus per malitiam subjectivè afficientem illum sive positivè, sive privativè: quod reputo verius juxta varias sententias, quæ hujus loci non sunt. At verò macula formalis, de quâ nunc disputamus, est subjectivè in animâ, & semper in illâ eodem modo existens ab instanti, quo per grave peccatum expellitur gratia: & idcirco hæc macula, dum perseverat semper impunitur homini.

39. Insurgunt tertid. Actus fidei reddit hominem formaliter fidelem. Ergo actus charitatis

Igitur omnes maculæ animæ sunt ejusdem speciei.

Ratio est quia aversio in peccato considerata, semper est ejusdem rationis, licet per quodcumque peccata causetur.

Actus fidei reddit hominem formaliter fidelem.

Compendium
et
Ripalda

charitatis illum reddit formaliter iustum. Nego antecedens. Quia actus fidei solum reddit hominem actualiter credentem, operantemque juxta habitum infusum fidei: alias iustus dormiens, in quo non est actus fidei supernaturalis, non esset formaliter fidelis: quod est omnino falsum. Et idem dico de actu charitatis.

Quo pacto actus fidei reddat Deo auctoritatem, quam abstulerat

40. Instabunt. Actus fidei destruit habitum hæresis, atque adeo Deo reddit auctoritatem, quam hæc fides peccatum abstulerat. Sed contritio perfecta reddit Deo quod abstulerat peccatum. Ergo. Respondeo distinguendo majorem quoad secundam partem: reddit Deo auctoritatem quantum ad conversionem; transeat; quantum ad aversionem, subdistinguo: dispositivè, concedo: formaliter, nego majorem. Est dicere in actu hæresis consideratur aversio, sicut in quocumque alio peccato, & consideratur aversio specialis, quæ stat in eo, quod homo dissentitur veritati revelatæ, quam prima veritas attestatur: primam verò, cum homo ex gratiâ elicit actum fidei, quo assensum præbeat veritati revelatæ, quam antea negaverat; ex motivo primæ veritatis reddit ad omne illud, à quo recesserat, quantum erat ex parte conversionis; nam per conversionem actus infidelitatis à veritate revelatâ recessit, & à motivo credendi, quod erat prima veritas: per actum autem fidei reddit ad veritatem revelatam, & ad credendi motivum: at verò non tollit formaliter omnia illa, quæ se habebant ex parte aversionis formalis, quam induxerat hæresis: nam ex parte aversionis, in quâ stat macula animæ, se habuerunt ratio offensæ jam toties explicata, & pœnæ præcipuè æternæ reatus; quæ formaliter non omnino tolluntur, sed solum dispositivè per actum fidei juxta à nobis hucusque exarata.

Triplici ratione insurgit P. Dicastillo.

41. Insurgunt quartò ex Dicastillo. Per actum charitatis, atque adeo per actum contritionis formaliter quis adhæret Deo perfectissimâ conjunctione per affectum amicitia, seu benevolentia. Ergo diligit eum Deus, juxta illa verba: *Si quis diligit me, Pater meus diligit eum.* Ergo dilectio, seu contritio est forma constituens ipsum, qui contreritur, Deo conjunctum, ipsi amabilem, & actualiter amicum, &c. Ergo nihil deficit, quominus sit vera sanctitas perfecta contritio. Confirmatur primò. Quia impossibile est creaturam rationalem esse unitam Deo ut fini supernaturali, & quod Deus illi non sit unitus, sed maneat aversus ab illâ. Ergo amor, seu contritio tollit aversionem: Confirmatur secundò. Quia in omni mortali peccato sunt illæ duæ rationes, sine quibus ejus nequit natura subsistere; aversio scilicet à Deo, & conversio ad creaturam. Ergo si utrumque tollatur per illammet formam formaliter per quam tollitur, censetur expelli

Theol.

formaliter. Sed talis est actus contritionis, qui cum sit dilectio super omnia, est formaliter conversio ad Deum; & cum sit detestatio peccati formaliter, est formaliter aversio à creatura. Ergo nihil deficit, ut actus contritionis, & charitatis sit formaliter sanctitas.

42. Ad argumentum distinguo antecedens: adhæret conjunctione intentionali, concedo: conjunctione formali & physicè inhærenti, quam petit Tridentinum, & quam à Deo solo homo accipit efficienter, ut expressè habetur in Concilio, nego antecedens. Et quidem Doctissimus P. Dicastillo non satis videtur Tridentino congruere sess. 6. cap. 7. dom sic ait: *Efficiens verò causa, scilicet justificationis, est misericors Deus, qui gratiâ abluit, et sanctificat, &c.* Tum sic primò. Sed homo est vera, & propria efficiens sui actûs liberi charitatis, atque sui actûs contritionis. Ergo si actus contritionis est justificatio formalis, etiam homo, & non solum misericors Deus esset causa efficiens justificationis. Secundò. Ergo si misericors Deus est causa efficiens justificationis, aliquid facit quo impius justificetur: sicut si ignis est causa efficiens calefactionis formalis aquæ, aliquid facit, quo aqua fit formaliter calefacta; calorem scilicet in aqua producens. Sed terminus Dei ut est causa efficiens justificationis, est forma aliqua, & hæc non est actus liber voluntatis, ut constat ex dictis. Ergo hæc est sola gratia habitualis.

43. Ad primam confirmationem, concessio antecedenti, distinguo consequens: quin tollatur aversio à Deo ut formâ, nego: ut dispositione connexa cum formâ, quæ est gratia concedo consequentiam. sicut impossibile est, quod detur calor in summo, quin tollat à materiâ privationem formæ ignis, non quidem formaliter, sed solum dispositivè. Propositio tamen antecedens aliquâ explicatione indigere videtur. Dicit enim P. Dicastillo, impossibile esse creaturam rationalem esse Deo unitam per contritionem, quæ est ipsa formalis amicitia; quin Deus sit unitus creaturæ rationali: & hinc necessum est hæere tantisper. Vel ergo Deus unitur creaturæ per amorem creaturæ, vel per suum amorem. Non primum, quia sicut creatura diligit, ita & Deus diligit. Sed creatura unitur Deo per dilectionem supernaturalem, quæ dilectio est justitia formalis subjectivè in ipsâ creaturâ. Ergo Deus unitur creaturæ per dilectionem increatam, quæ erit justitia formalis quasi subjectivè in ipso Deo. Sed nisi Deus uniatur animæ, non intelligitur homo iustus formaliter. Ergo homo justificatur formaliter per dilectionem Dei increatam. Hæc autem est hæresis damnata à Concilio ubi supra. Ergo solum potest dici, quod in gratiâ stat formalis conjunctio animæ cum Deo, & Dei cum animâ. Hoc autem bene & satis facillè ab omnibus percipitur.

T

44. Ad

Ad 1. dico, per actum conjunctionis, & charitatis homine adhæret Deo conjunctione intentionali, non physicè inhærenti ut petit Tridentinum.

Ad 2. Amor non ut forma; sed ut dispositio connexa cum illâ, tollit aversionem

Ad 3. Di-
co. in pec-
cato esse
aversione
& cōver-
sionem &
illas con-
gruè ex-
plano.

44. Ad secundam confirmationem respondeo, verum esse quod in peccato sunt duæ illæ rationes, conversionis nimirum, & aversionis; sed malè illas explicat Pater Dicastillo: putat enim sapientissimus iste Doctor, aversionem à Deo, & conversionem ad creaturam consistere formaliter in ipso actu peccati, ita ut contritio, dum à creaturâ recedit, & accedit ad Deum, tollatà contrario illam formalem aversionem à Deo, & conversionem ad creaturam, quæ duo perseverant, dum peccatum non retractatur: primum est argumentum, & quidem efficacissimum contra eos, qui tale principium admittunt. Secundum est, peccatum non posse formaliter remitti per gratiam habitalem, eo quod solum actus retractationis contrarietur immediatè peccato præterito; gratia autem solum radicaliter quatenus ex illâ, sive ad illam charitatis, & pœnitentiæ habitus consequuntur, qui sunt principia eorum actuum, qui peccato opponuntur. Hoc autem falsum videtur. At verò hæc omnia in nostris principiis nullam vim habent. Ratio est, quia licet aversio effectivè sumpta, se habet ex parte actûs; At verò formalis aversio est effectus illius, quatenus ex peccato sequitur separatio, sive formalis aversio, quæ stat, ut jam dictum est in privatione illius conjunctionis formalis animæ cum Deo per gratiam, quæ aversio solum tolli potest effectivè à Deo, qui solum efficienter gratiam producit, dispositivè verò per actum charitatis, & contritionis; formaliter per ipsam gratiam. Ex quibus tota ad solum usque coaruit difficultas.

Quid dice-
mus de
homine,
qui consti-
tutus in
statu puræ
naturæ
peccasset.

45. Insuper quintò. Si homo peccaret in statu puræ naturæ, esset dignus æternâ pœnâ. Sed tunc non induceret peccatum grave privationem gratiæ; quia in statu puræ naturæ nulla supernaturalis gratia supponitur. Ergo tunc per solum actum charitatis justificari posset; quandoquidem nulla esset gratiæ privatio, quæ per ipsam gratiam tolli deberet. Respondeo, concessis majori & minori, negando consequentiam. Quia sicut cadens in propriâ naturâ, non potest surgere in ipsâ propriâ naturâ; & idè confugit arguens ad actum supernaturalem charitatis; potiori jure nos confugimus ad formam supernaturalem gratiæ, quæ ut potè immediata participatio divinæ naturæ, dat primum esse sanctitatis formalis animæ. Sed obiter nota quod tunc gratia non requireretur propter expiationem maculæ propriè sumptæ; sed solum propter expiationem divinæ offensionis, quæ propriè esset adhuc in purâ naturâ, eo quod peccando graviter præposuisset homo creaturam suo creatori; non tamen esset propria macula imputabilis animæ per peccatum, eo quod in purâ naturâ non præcessisset nitor & splendor gratiæ, quam conservare debuisset: imò in corporalibus, ad

quorum similitudine explicatur macula animæ; certum est, quod nõ intelligamus, subiectu aliquod maculari, nisi illud prius intelligamus nitidum & splendidum, cujus nitore & splendore privetur, esset tamen verè & propriè peccatum, quod est valde diversum juxta dicta supra.

46. Congruit maximè exhibitæ solutio. Consona ni, quam dedit Divus Thomas in simili, quæst. 20. citatâ artic. 2. ubi sic ait: *Ad quintum dicendum, quod si Adam in statu suæ conditionis gratiam non habuit secundum quosdam: ponitur tamen ab eisdem quod ante casum gratiam est adeptus: unde à statu gratiæ cecidit, & non à statu naturæ: sed tamen si à statu solò naturæ cecidisset, nihilominus tamen ad expiationem infinitæ offensionis donum divine gratiæ requireretur.* Ita Doctor Angelicus. Unde Sanctus Thomas in tali casu recurrit ad expiationem offensionis; non maculæ: quia tunc non fuisset aversus: de quâ aversione, & maculâ modò disputamus.

47. Insuper sextò. Peccatum veniale infert animæ quandam maculam. At macula stat in privatione gratiæ. Ergo si hoc est verum, peccatum veniale infert privationem gratiæ, quod est erroneum. Distinguo majorem: infert maculam per inordinatam inclinationem affectûs ad aliquod temporale, concedo: per privationem gratiæ, nego majorem. Sicut enim in corporalibus duplex est macula, alia per privationem ejus, quod requiritur ad decorem v. g. debiti coloris, aut debetæ proportionis membrorum; alia est per superinductionem alicujus impediens decorem, v. g. pulveris, & luti. Ita similiter in animâ duplex macula consideratur: alia quæ stat in privatione gratiæ, quæ est decor animæ; & hæc inducitur per peccatum mortale, altera quæ se habet tanquam pulvis impediens animæ decorem in operando; & hæc inducitur per peccatum veniale ex inordinatâ affectus inclinatione.

48. Insuper tandem. Vel contritio est prior gratiâ, vel posterior ipsâ? si hoc ultimum; sequitur, quod illa ratio; quod scilicet contritio est dispositio ad gratiam non impedit, quominus contritio sit sanctitas formalis, quia quod est gratia posterius, non est dispositio ad gratiâ. Ergo ex hoc capite poterit esse sanctitas formalis. Si primum; sequitur, quod contritio non sit supernaturalis: quia quod antecedit gratiam, quæ dat primum esse supernaturale, nequit esse supernaturale. Sed talis contritio antecedit independentè à gratiâ. Ergo. Certè nihil speciale contra nos. Respondeo igitur, ex totâ hæc disputatione satis constare, contritionem, *sive sit dispositio ad gratiam, ac proinde illa prior; sive proveniat saltem radicaliter ab ipsâ gratiâ, ac proinde sit illâ posterior;* non posse esse formam sanctificantem, propter supra datas rationes, quas, molestum esset iterum repetere.

repetere; cum possint facile supra videri.

Cōtritiō in aliquā ratione est prior, & in alia posterior gratiā habituali.

49. Quia tamen hic tangitur punctum notitiā dignum, circa principium contritionis elicitivum, omisā plenā disputatione, quæ hujus loci non est; quid sentiam, brevi calamo attingam. Censeo igitur, contritionem esse in aliquā ratione gratiā habituali priorem, & in aliā ratione esse ipsā habituali gratiā posteriorem; est prior, quatenus se habet ex parte causæ materialis, scilicet animæ, ad recipiendam gratiam; quia omnis dispositio reducitur ad genus causæ materialis: Est autem posterior ipsā gratia in genere causæ formalis; ita, ut gratia sit radix habitus charitatis, & penitentiae, qui in illo instanti sunt principia actūs contritionis, & charitatis. Et ita sentit Doctor Angelicus pluribus in locis; quem sequuntur Patres Vasquez, Valentia, Turrianus, & alii plures. Primò. Quia mutua prioritas in diverso genere non implicat, ut ostendi in Philosophiā; sic enim est prior in genere causæ materialis materia respectu formæ; hæc verò in genere causæ formalis est ipsa materia prior; sic calor in instanti, quo est ignis, ut se habet ex parte causæ naturalis, est prior formā; est tamen in alio genere posterior illā, quatenus est proprietas formæ ignis. Secundò. Quia Deus vult, non esse gratiam, & habitum charitatis, nisi sit actus charitatis; nec vult, esse actum, nisi sit habitus; quando autem datur mutua in existendo dependentia, datur mutua prioritas. Ergo. Tertiò. Quia in eodem instanti, in quo est auxilium Dei actuale, est etiam habitus. Sed in eodem instanti auxilium efficit actum contritionis. Ergo & habitus. Quartò. Quia in eodem instanti, in quo est ignis, calefacit, mediante principio caloris intrinseco, & non per auxilium extrinsecum: Cur ergo non faciet hoc ipsa anima per habitum intrinsecum, quem habet. Quintò. Quia Concilium Tridentinum loquendo de contritione, cui impij cum Deo adscribitur reconciliatio, clarè dicit, contritionem esse charitate perfectam. Ergo loquitur de contritione, quæ fit, mediante charitate. Sextò. Quia sic est magis connaturalis actus contritionis, dum fit per principium intrinsecum, sicut & alij actus sequentes. Denique. Quia Sanctus Thomas sic inquit in 4. sententiarum, distinct. 27. artic. 1. ad 3. quæst. Unde antequam gratia infundatur, non est habitus, à quo actus contritionis postea elicitur. Quid clarius? Nota obiter hanc potissimam totius Theologiae controversiam proprium sibi locum vindicare in pluribus Magistri sententiarum disputationibus, ut videre est apud Patrem Ripaldam.

Theol.

QUÆSTIO II.

An de potentia Dei absolutā absque actu formali penitentiae, vel sine gratiā possit remitti peccatum per solam Dei extrinsecam condonationem?



EX dictis antelapsā Quæstione operosum non erit, præsentem difficultatem brevi calamo enodare: Quia tamen inter ea, quæ in primò sententiarum Magistri excitantur, non vulgaris est; præstat, solidam aliquam rationem excutere, quā possit & facile propugnari, & ab argumentis in contrarium adductis absque negotio expediri.

LECTIO I.

Unde, vel alterā notatione controversia præsens illustratur.

50. **N**ota primò quod de facto, & ex ordinariā lege Dei, gratia, quæ est, & inest animæ, culpam expellit; non culpam, quæ est; sed quæ non est; prius autem erat; ut patet in formā substantiali, quando generatur unum, & corrumpitur aliud. Ratio est. Quia gratia non expellit maculam peccati per modum causæ efficientis (sic enim necessarium esset, quod gratia ageret in culpam; aut maculam existentem, ad ipsius expulsionem; sicut ignis agit in lignum existens ad ejus corruptionem;) sed solū expellit maculam formaliter; idest, ut causa formalis; sicut lux formaliter expellit tenebras; ex hoc enim ipso, quod gratia informat subjectum, sequitur, quod culpa, aut macula in subjecto non sit; sicut patet de sanitate, & infirmitate.

281. Nota secundò Deum non posse adhuc divinitus condonare peccatum, antequam fiat; nec in instanti, quo fit, illo modo condonationis, quo nimirum Deus adversus peccatorem ratione peccati indignari non velit, cedens juri castigandi.

T 2